

neque ego apud illum invenio. Accedit quod eadem sententia est plane Ambr., lib. 8 in Lucam, in princ. Verumtamen etiam ad illum tacite respondet Can., aliter sensisse 1 Cor., 7, exponentem illa verba, *Ceteris ego dico, non Dominus*. Dices ibi potius dicere Ambrosium id dixisse Paulum, *ut ostenderet quid proprie Dominus jussit, et quid Pauli auctoritati concessit, quia et per istum Dominus loquitur*. Hoc tamen non obstat quominus ibi distinxerit Paulus præceptum divinum Christi a suo humano, ut omnes interpretantur, et verba declarant; ergo si idem accommodatur ad Moysen, non retractat, sed potius confirmat Ambros. priorem sententiam. Adde duas ibi esse quæstiones quas Can. confundit: una est, an Moyses sicut Paulus aliquid humano arbitrio, licet auctoritate a Deo data, præceperit; alia est, an uterque, cum præceptum illud scripsit ac retulit, humano vel divino Spiritu ductus scripserit. Et in hac posteriori quæstione certissimum est omnia verba utriusque scriptoris fuisse canonica, et a Spiritu sancto dictata. Neque hoc ibi tractabat Ambrosius, neque dubitabat quin uterque canonicè suum præceptum scripserit; at in priori loco docet illam non fuisse legem divinam, quod in posteriori non negat. Can. ergo, priorem tractans quæstionem, sine causa adducit Ambrosium, et immerito ait illum mutasse sententiam: nam de Paulo constat præceptum vel consilium ejus ibi fuisse humanum: ita ergo Ambrosius videtur sensisse de Moysen. Et eodem modo interpretatur verba illa Christi loquentis de lege repudii: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses*, Hieron., Matth. 5, 19; et sequuntur ibi Beda, Hugo Card. et D. Thomas. Neque obstat huic opinioni auctoritas Epiphani, qui sententiam Ptolomæi, ut hæreticam, damnat; quia vel id intelligendum est ratione primæ partis, quæ hæretica est, ut supra dixi, vel illa etiam pars in illo hæretico damnatur, quia non solum dicebat Moysen auctoritate propria tulisse aliqua præcepta, sed etiam proprio spiritu, et contra spiritum Dei tulisse illa, ut Salmer. supra late exponit.

14. Nihilominus tamen dicendum est totam legem contentam in libris Moysi usque ad finem Deuteronomii divinam fuisse, et Moysen non auctorem, sed solum fuisse promulgatorem omnium partium ejus, sine ulla exceptione. Notavit hoc Maldonatus Matthæi 19, ubi pie Sanctos interpretatur. Et idem sensit Bellarmin., lib. 4 de Verbo Dei scripto; Arboreus, lib. 40 Theosophiæ., cap. 9, et

idem plane sensit Epiphani., d. hæres. 33; imo videtur esse communis sensus doctorum. Et probatur, quia Exod. 20 et 21, et sequentibus, et fere per totum Leviticum, præmittuntur illa verba: *Locutus est Dominus ad Moysen, Hæc dices filiis Israel*. Et Deut., 3 in principio, similiter dicitur: *Locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat ei Dominus, ut diceret eis*. Quod ipse repetit, cap. 6, initio, et postea eodem contextu et modo omnes leges profert: ergo nullam possumus cum fundamento excipere, alias nihil manet firmum in reliquis.

15. *Ad exceptionem de lege repudii.—Duplex modus permissionis.—Primus, dispensative.—Secundus permissive.—Nullum præceptum humana auctoritate latum.*—Deinde specialis illa exceptio de lege repudii nullum habet fundamentum; nam quod illa permissio vel lex dicatur a Moysen data vel scripta, non obstat quominus sit a Deo auctore: nam, Matthæi 8, dixit Christus leprosis ut offerrent quod præcepit Moyses, licet illud fuerit divinum præceptum; imo, Marc. 7, simul dixit: *Moyses dixit, Honora patrem tuum*, et subjungit: *Irritum fecisti præceptum Dei*; ergo licet in alio loco dicatur Moyses permisisse, non excluditur quin Dei auctoritate permiserit. Unde recte Chrysostom., Hom. 63 in Mat., dicit Christum inæstimabili sapientia pro Moysen satisfecisse, et subjungit: *Nam quoniam ab ipso etiam illa lex emanavit, jure ab omni crimine illam defendit*. Præterea materia ipsa divinam requirit auctoritatem. Duobus enim modis potest illa permissio intelligi; primo, dispensative, concedendo veram dissolutionem vinculi matrimonii rati et consummati, quem sensum multi Patres approbant, et in eo certissimum est solum Deum potuisse esse auctorem talis dispensationis. Alius sensus est, ut fuerit pura permissio minoris mali, quem scholastici magis probare solent, et in eo facilius intelligi posset auctoritatem humanam ad talem permissionem fuisse sufficientem; tamen et prior sensus fortasse probabilior est, de quo infra; et in posteriori etiam non est verisimile Moysen sua auctoritate ausum fuisse talem permissionem concedere in materia intrinseca mala, et quæ, per se spectata, non videbatur adeo necessaria ad majora mala vitanda. Sit ergo certum, nullum ex illis præceptis humana auctoritate latum esse, ac subinde totam illam legem strictè, ac proprie esse divinam.

## CAPUT III.

PROPTER QUEM FINEM DATA SINT LEX VETUS ET PRÆCEPTA EJUS, SALTEM IN GENERALI.

1. *Finis legis et præceptorum.*—Explicata causa efficiente veteris legis, ut ejus ratio et qualitas intelligatur, illius causa finalis explicanda est. Circa quam nonnullam difficultatem ingerit Paulus ad Rom. 5, dicens: *Lex subintravit ut abundaret delictum*, quæ verba indicant finem illius legis fuisse ut occasione illius hominum peccata multiplicarentur, cui consonat illud ad Gal. 3: *Quid igitur lex? propter transgressionem posita est*, quia, ut idem ait ad Rom., 7, per illam legem peccatum, quod mortuum erat, revixit; unde ibidem, c. 8, vocat illam *legem mortis*. Et 2 ad Cor., 3, dicit *litteram occidere*; per litteram intelligens legem Veterem, de qua subdit: *Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria*, etc. Si ergo lex vetus fuit ministratio mortis, hic intelligitur fuisse finis per se intentus per illam, quia non denominatur lex talis ex iis quæ per accidens, et præter intentionem eveniunt. Secundo, videtur finis illius legis fuisse mere temporalis, scilicet, peculiaris institutio cujusdam temporalis regni, quod in hac vita temporalem felicitatem consequeretur. Quod patet tum ex pluribus præceptis illius legis, quæ solum pertinet ad bonam reipublicæ gubernationem, justitiam, et pacem: nam licet multa alia pertinerent ad cæremonias sacras, omnes illæ ordinabantur ad temporalem felicitatem illius reipublicæ. Tum quia omnes promissiones quæ a Deo fiebant observatoribus illius legis, temporales erant, ut constat ex toto discursu veteris legis, et docent multi Patres infra referendi; ergo ad summum fuit illa lex veluti civilis, speciali Dei providentia, data illi populo.

2. *Finis legis bonus, honestus, spiritualis et supernaturalis fuit.*—Nihilominus, certum est finem illius legis bonum ac honestum, et non temporalem tantum, sed etiam spirituale, imo et supernaturalem extitisse. Quod totum sufficienter probari posset ex eminentia legis divinæ: ut tamen declaretur, suppono posse nos loqui, aut de fine ultimate intento per legem illam, aut de fine proximo. Qui etiam duplex esse potest, scilicet, vel finis quasi extrinsecus ipsius legislatoris, vel finis quasi intrinsecus ipsius legis, de qua rursus

(juxta superius dicta) loqui possumus, vel collective, prout comprehendit multitudinem et ordinem præceptorum quibus illa lex constabat, vel divisive, de singulis ordinibus, seu speciebus illorum præceptorum. Et ita etiam agere possumus, vel de fine communi et adæquato toti legi, vel de fine et ratione uniuscujusque legis seu præcepti.

3. *Finis ultimus a Deo intentus, quis fuit.*—Dico ergo primo: finis ultimus per illam legem a Deo principaliter intentus, fuit spiritualis et supernaturalis felicitas illius populi, vel in hac vita per bonos mores et veram sanctitatem, et etiam in futura per supernaturalem felicitatem. Hæc assertio sumi potest ex D. Thoma, 1. 2, q. 98, art. 1, et q. 99, art. 2; et probatur ex illo Psal. 18: *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda*, etc., usque ad illud: *In custodiendis illis retributio multa*. Item sumitur aperte ex toto Psal. 118: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, etc. Præterea ex Paul. ad Rom., 7: *Lex quidem sancta et mandatum sanctum*; et infra: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*. Ubi, licet videatur principaliter loqui de illa lege naturali, *Non concupisces*, tamen idem sine dubio intelligit de tota lege. Idem recte ostendunt verba Stephani, Act., 7: *Qui accepit verba vitæ dare nobis*, ubi per verba vitæ legem intelligit quam Moyses accepit, ut eam populo daret. Constat autem ibi non loqui de vita temporali, sed de æterna. Unde Matthæi 19, quidam Christum interrogavit: *Quid faciam ut habeam vitam æternam?* Christus autem docuit illum, per observantiam mandatorum legis posse ipsum consequi vitam æternam; ergo propter finem vitæ æternæ data est illa lex. Et similiter Lucæ 10, interroganti legisperito: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit Christus: *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* significans profecto legem illam datam esse, ut viam vitæ æternæ consequendæ. Ratio autem est, quia lex illa data est a Deo, non tantum ut auctore naturæ, sed etiam ut supernaturali auctore gratiæ: ergo data est propter ipsam gratiam et gloriam obtinendam: nam finis consentaneus est principio, in eo qui perfecte operatur, ut est Deus. Antecedens vero probatur, quia lex illa data est a Deo ex providentia supernaturali, et ut suscipienda, et credenda fide supernaturali; imo tota illa



erat quædam professio supernaturalis fidei, ut magis ex sequenti assertione constabit: ergo fuit data a Deo ut auctore et principio ordinis supernaturalis.

4. *Lex vetus in peculiarem Christi honorem data.*—Dico secundo: lex vetus data etiam fuit in peculiarem Christi honorem, ad conservandam et augendam fidem explicitam Christi venturi in hominibus, et per illam disponendum et præparandum peculiarem populum ad ipsius adventum. Hanc assertionem sumo ex D. Thoma, quæst. 98, art. 4, eamque probo ex illo ad Rom. 10: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Item ex eodem Paulo, ad Gal. 3, dicente positam illam esse legem donec veniret Christus, unde subjungit: *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Nam ex his verbis satis constat Deum dedisse illam legem per respectum ad Christum, ac subinde in honorem ejus. Deinde constat datam esse ad separandum illum populum, et custodiendum illum, ab erroribus et idolatriis gentium, sub cultu veri Dei, et in fide Christi venturi, per quem posset justificari. Et ideo comparat Paulus pædagogo gubernanti pupillum, et custodienti illum ab omni malo et periculo; comparat etiam sepi circumdanti et concludenti vineam. Denique constat datam etiam esse propter conservandam fidem Messiae venturi. Et ideo Stephan., Act. 7, priusquam diceret Moysen accepisse hanc legem, dixit: *Hic est Moyses qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris; tanquam me, ipsum audietis;* quod habetur Deuteron., 18. Fuit ergo Christus tanquam fundamentum et scopus illius legis; data est ergo in specialem honorem ejus, præparando et sanctificando populum, ex quo carnem erat assumpturus. Quod etiam significavit Paul. ad Rom. 9; dicens de Israelitis: *Quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, legislatio et obsequium, et promissa,* et concludit: *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ac si diceret, sicut alias prærogativas, ita etiam legislationem, seu legem datam esse illi populo propter Christum, qui ex illo erat nasciturus.

5. *Confirmatur.*—Atque ex hac assertionem confirmatur prior: nam fides Christi ad supernaturalem finem ordinatur, et est principium spiritualis sanctificationis et gratiæ; ergo lex illa quæ cum illa fide conjuncta esse debebat,

et in illa fundabatur, ad eundem finem principaliter ordinata est. Dicit fortasse aliquis repugnare hoc Paulo dicenti legem illam non posse vivificare nec justificare, ad Rom. 3, 4 et 5, et ad Gal. 3. Sequela patet, quia si lex illa data est propter veram justitiam, sanctitatem et gloriam, fuisset medium ad illam assequendam, et consequenter sanctificaret et vivificaret. Respondetur tamen facile, negando sequelam, quia, licet lex illa ostenderet salutem et viam ejus, et ut sic ordinaretur ad supernaturalem finem et ad Christum, non tamen dabat vires ad justitiam vel salutem consequendam, ut inferius ostendemus, et ideo non potest dici justificare, quia hoc proprie significat esse causam salutis. Unde, licet fuerit aliquale medium, non quidem per se necessarium, sed ad summum utile, nihilominus erat valde insufficiens, adeo ut sine viribus gratiæ posset esse occasio majoris mali, non quidem ex parte sua, nec ex intentione Dei, sed ex infirmitate hominis lapsi.

6. *Solvitur prima ratio in initio posita.*—Et ita etiam solvitur prima ratio dubitandi in principio posita; lex enim illa non est data ex intentione Dei, ut abundarent peccata: hoc enim repugnat Deo et summæ illius bonitati, sed data fuit, prævidente Deo ex lege sumpturos homines occasionem multiplicandi peccata, idque permittente, ut et infirmitas humana et necessitas gratiæ Christi magis innotesceret, sicut Paulus, ad Roman., 7, declarat, et infra iterum dicitur. Sicque exponitur. Atque eodem modo intelligendum illud est, legem intrasse ut abundaret delictum: nam illa particula non dicit habitudinem causæ finalis, sed solam consecutionem, Deo permittente, ut est frequens in Scriptura, et specialiter ibi notant D. Thomas et alii, et idem D. Thomas, ad Galat., 3. Ubi addit posse eodem modo intelligi illa verba, *lex propter transgressionem posita est.* Addit vero aliam expositionem quam existimo esse magis propriam, scilicet, legem esse datam, ut illuminaret homines ad vitandas transgressionem, sicut dicitur data ad custodiendos homines. Vel potest etiam dici data propter transgressionem antecedentes, quæ adeo erant multiplicata in humano genere, ut vix maneret in hominibus cognitio peccati. Transgressio igitur non fuit finis, neque propria causa legis, sed induxit legis necessitatem, ut per illuminationem ejus transgressionem vitarentur. Ex quo sensu potius confirmatur assertio prima: nam transgressionum vitatio magna

pars est salutis, et necessarium medium ad æternam vitam consequendam. Quia vero lex ostendebat peccandum vitandum, et vires ad illud vincendum non præbebat, ideo per occasionem, ut dixi, vocatur administratio mortis, ut cap. 6 magis constabit.

7. *Finis adæquatus legis veteris, instructio populi.*—Dico tertio: finis proximus et adæquatus legis veteris fuit instituere populum Dei honeste et convenienter, non solum in his quæ spectant ad naturalem ac necessariam rectitudinem et honestatem, sed etiam in his quæ ad divinum cultum et justam politiam pertinent. Hanc assertionem sumo imprimis ex verbis illis Ex., 19: *Si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus; mea est enim omnis terra, et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Nam ex his verbis constat separasse Deum illum populum a cunctis gentibus, et sub sua speciali cura illum suscepisse; item peculiarem rempublicam, seu regnum ad divinum cultum specialiter dicatum, ex illo instituisse; ergo oportuit illi dare legem continentem præcepta necessaria, et ad bonos mores, et ad justum et sacerdotale regnum. Præterea idem constat ex lege ipsa, in qua tres ordines præceptorum inveniuntur, quæ sunt tres principales partes in quas solet illa lex dividi, scilicet, in præcepta moralia, et cæremonialia, et judicialia, ut tradit D. Thom. 1. 2, tota q. 99. Et hæc tria dicuntur Deuter., 6: *Præcepta, cæremonia, atque judicia.* Nam licet in quocumque illorum ordinum data fuerint præcepta, nihilominus ea quæ moralia sunt, et ad legem naturæ spectant, per antonomasiam vocari solent præcepta. Solentque etiam specialiter vocari verba Dei, ut sumitur ex Deuteron., 4, quia speciali modo sunt a Deo ipso tradita universo populo immediate audiente vocem ejus, ut supra notavi ex 20 cap. Exod., et Deuteron. 4 et 5. Cæremonia vero dicuntur omnia quæ ad divinum cultum proxime ordinabantur, qualia erant præcepta sacrificiorum, sacramentorum, sacrorum, et aliarum observantiarum, quæ sub nomine *sabbatorum* videntur comprehendi Ezechiel. 20. Denique judicia, seu judiciales leges dicebantur, quæ ad regimen reipublicæ, et ad justitiam cum proximo servandam pertinebant. Et ad hæc capita revocantur omnia præcepta illius legis, ut recte declarat D. Thomas d. quæst. 99, art. 5. Ratio autem et sufficientia hujus divisionis sumitur ex fine intrinseco illius legis,

in assertionem posita explicato. Nam per illam legem intendit Deus facere homines bonos, et in se, et in ordine ad ipsum, et in ordine ad humanam rempublicam, et ideo dedit illis præcepta moralia quibus mores necessarii ad honestatem simpliciter præcipiuntur: et quia non potest esse homo in se bonus simpliciter, nisi sit recte ordinatus ad Deum et ad proximum, ideo præcepta moralia hæc omnia comprehendebant sub generalibus rationibus ex naturali vel supernaturali lumine necessariis. Quia vero ad usum et observantiam naturalium præceptorum aliquæ positivæ determinationes erant vel necessariæ vel valde utiles, ideo addita sunt, in ordine ad Deum et cultum ejus, præcepta cæremonialia, in ordine vero ad proximum et rempublicam, præcepta judicialia; in ordine vero ad seipsum, non fuerunt homini necessaria specialia præcepta positiva, quia ad bonum animæ sufficiunt ea quæ ad Deum referuntur, ad bonum vero corporis naturalia præcepta sufficiunt. Ex hac ergo præceptorum varietate et sufficientia, recte colligitur proximum finem adæquatum illius legis fuisse rectitudinem constituere in moribus subditorum, tam ut sunt homines, quam ut sunt Dei cultores, atque etiam ut sunt cives, ut sic dicam.

8. *Solvitur secunda objectio.*—Unde obiter solvitur secunda objectio in principio facta: negamus enim absolute finem illius legis fuisse temporalem: quamvis enim finis proximus illius aliqua ex parte fuerit temporalis, non tamen adæquate, neque ultimate ullo modo. Et solum illud ostendit prima probatio ibi adducta: concedimus enim leges judiciales proxime fuisse datas propter temporalem pacem et felicitatem illius reipublicæ: sicut autem illa præcepta pars quædam erant illius legis, non tota lex, ut visum est, ita finis ille non erat adæquatus, sed partialis, etiam in ordine finis proximi ejusdem legis. Nullo autem modo erat ille finis ultimus, quia illa felicitas temporalis ad æternam principaliter ordinabatur. Imo illamet institutio illius gentis sub temporali seu humana ratione unius regni seu reipublicæ, a Deo specialiter ordinata est, ut esset veluti fundamentum necessarium ad religiosam institutionem sub cultu unius Dei, et alios fines spirituales et supernaturales a Deo intentos, ut diximus. Quocirca, si quis recte consideret, inveniet illam legem in se comprehendisse, præter naturalia præcepta, determinationes positivas quæ nunc fiunt per leges canonicas, vel civiles, quam-